



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. Quot modis Privilegium amittitur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Q. 3. Quot modis Privilegium amittitur?

Resp. His 1. per illius abusum accedente sententia Judicis, quia Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abusitur potestate. Cap. 24. de Privileg. 2. Per non usum spatio sufficienti ad praescribendum, si gravet alios, ex cap. 15. de privileg. quod si non gravet, non amittitur per præscriptionem: nam alii contra privilegiatum praescribere nequeunt, cum ipsorum nihil intersit. 3. Per revocationem concedentis, aut successoris expressam, & privilegiato significatam, vel per legem revocatoriam promulgatam. Quæ tamen concessa sunt in remunerationem servitorum, vel ex pacto, & cum onere adjuncto, ac praestito, non possunt revocari, nisi ex gravi causa pertinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compensatione.

Porrò privilegium non cessat morte concedentis, nam *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum* Reg. 16. Jur. in 6. At cessat per se cessante causa, ob quam datum est, quando versatur circa obligationem dividuam, ac successivam, quam tollit, ut dixi de dispensatione. Quia Superior non intendit concedere exemptionem,

quæ

quæ duret contra legem, cessante causa, cùm id licetè non possit: sic privilegium alicui datum non recitandi horas ob gravem causam, hac cessante cessat.

Not. Alex. VII. damnavit hanc propos. *Regulares possunt in foro conscientia uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Tridentinum.*

Q. 4. *Quid est Consuetudo?*

Resp. Hic sumitur pro frequentia actuum externorum similium liberè factorum à majore saltem parte communilitatis. Nominе actuum intellige etiam omissiones. I. Duplex est, nempe facti, & juris. Consuetudo facti est ejusmodi frequentia, sed non habens vim legis defectu conditum ad hoc requisitarum. Consuetudo juris est talis frequentia habens vim legis, sive est jus ex illa frequentia ortum. Unde c. 5. dist. I. definitur, *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit Lex.*

Q. 5. *An, & quæ consuetudo habet vim legis?*

Resp. I. Consuetudo honesta, & bono communi utilis, inducta liberè, & publicè à communitate, cum animo inducendæ obligationis, accedente consensu Principis

L. 5 per-